Accipiuntque cauis habitacula digna latebris
Et quę monstra solet noster producere pontus
Aptat ad informes condens sollertia formas
Quodque hominum falso credit mens nescia foedum
Per propriam speciem natura iudice pulchrum est.
Ergo ubi completis fulserunt omnia rebus
Ornatuque suo perfectus constitit orbis
Tum pater omnipotens ęterno lumine lętum
Contulit ad terras sublimi ex ethere uultum
Illustrans quodcumque uidet. placet ipsa tuenti
Artifici factura suo. laudatque creator
Dispositum pulchro quem condidit ordine mundum
Tum demum tali sapientia uoce locuta est
En praeclara nitet mundano machina cultu
Et tamen impletum perfectis omnibus orbem
Quid iuuat ulterius nullo cultore teneri
Sed ne longa nouum contristent otia terram
Nunc homo formetur summi quem tangat imago
Nominis. et num celso donatus honore